



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Paulus Eremita. 15. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

esser ornatus , nisi id dignitatis ex innatâ animi demissione in alium ipse transtulisset , quòd eum septem diebus ante se sacris initiatum diceret. Obiit tandem FELIX feliciter, tumulumque temp̄lum est nactus ; quod cùm augustius postea D. Paulinus reddere laboraret, solique rusticani duo ædes suas transcribere negarent , ecce tibi ignis nocturnus tecta rusticorū depastus amplissimam aream descriptis. Neque hoc solum , sed & aliis deinceps miraculis FELIX luxit. Ex Surio.

Eò minus in hac peregrinatione deficies , quò verius in fontem divinae misericordiae per virtutem sp̄ei mentis oculos levaveris. Hęc enim virtus claritate suā Deum nobis manifestat , & inter hostium catervas intrepidè ante faciem Domini nos perducit. B.Laur.Just.Lig. vitæ.

S. PAULUS EREMITA. 15.Januarii.

P A V L V S Thebæus xv. annorum adolescens plus Decium , quam eremum horruit. Certè hoc unum imprudens Decius boni fecit, quòd ex Christianis eremicolas fecit. Eos inter princeps PAVLVS perhibetur, cui in centesimum usque annum ac decimum spelunca rectum, una eademque arbor palma , & victum , & vestem dedit. Annus agebatur Christianus ccc.xxxiv. cùm ad eum divino jussu visit Antonius , atque tunc prudens dispensator corvus, qui annos jam lx. dimensum suum PAVLO quotidie afferre assolebat panem diuidium , hospitis memor duplicavit annonam. Secundum hęc, cùm ita monente PAVLO, vestem sepulturæ allatū iret Antonius, priusquam rediret, abire inter Cælites in cælos amicum videt , repetitque genibus humi adhuc fixum , passisque brachiis

chiis omnino oranti similem. Cum ultimum proinde officium mortuo præstaret, in eo socios duos leones habuit, qui sepulchrum egestâ humo parârunt, & mœrenti Antonio crebro mœstoque rugitu, & ipsi adgemuerunt. Hinc domum revertit nimium quantum gaudens, spoliis opimis, hoc est tunicâ PAVLI è foliis palmæ concinnatâ. Certe non nisi maximis quibusque diebus festis in eâ visus est superbire, ut minus ego jam mirer ab Hieronymo eam palmaræ etiam Imperatorum purpuræ prælatam, quando in illâ magnus Antonius triumphavit. Ex S.Hieron.

Quàm deliciosa fame affligitur, qui cælestis promptuarii dapibus satiatur? cui cælum fit cellarum, cælestis promus exhibit ministerium; quàm fæliciter miser est, qui dum terrenis eget impendiis angelicis fulcitur obsequiis: cui xenium divinitùs mittitur, angelitus ministatur? S.Pet.Dam.serm.33.

S. JOANNES CALYBITA. 15.Ianuarii.

Ille JOANNES est, qui in illustri Patriciorum familiâ Romæ natus, parentes piè nos docuit fallere. Nam adolescens admodum clam his in Syriam abiit, & vestem indutus religiosam, unico, sed delicato cibo vicitavit, Angelorum pane. Post cùm parentes sæpenumerò ingereret hostis, ægrè illi sibiique facturus Romam iter instituit. Ex itinere vestem suam cum mendicantis centonibus commutat, & his spoliis superbus ad parentes ignotus divertit, tantæque filius familiæ, tanti patrimonii hæres vix male sartam tectamque in vestibulo ædium suarum casulam impetrat. In hac ille tres annos ad invidiam sui hostis furtivo parentum aspectu fruitur. Hinc ex tuguriolo suo ad Superum